





causae materialis & dispositivae praecedat generationem, & recessus a termino a quo in eodem genere causae materialis antecedit accessum ad terminum ad quem; nam verum est in aliquo genere causae, idem Petrum se movere ad Orientem, quia relinquit Occidentem: ita similiter, idem voluntas ultrò amplexatur objectum abominabile, quia recedit a Deo, & a regulis rationis. Si ergo, prosequitur laudatus Auctor, prima explicatio, quae est communior, magis placet, respondendum est argumento, tendentiam illam nondum esse formaliter & essentialiter malam, sed fundamentaliter proximè: eò fere modo quo in Sententia Thomistarum natura per praecisionem intellectus possibilis est universalis, non formaliter ante comparationem, sed fundamentaliter proximè, quia, quando actus non est privatus rectitudine, non potest esse formaliter malus, sed causaliter tantum. Si 2. aut 3. explanationi haeratur, ab in fumum argumentum, si quidem tendentia illa non erit prior, sed concomitans, aut subsequens privationem, a qua habet actus primò per se quòd sit malus.

Verum occurrunt alii, & dicunt, quòd, quovis modo consideretur privatio, sive antecedentè, sive concomitantè, sive consequentè, non idè abeat in fumum argumentum, quia non fundatur tantum in hoc, quòd tendentia positiva ad objectum praecedat privationem, sed etià in hoc, quòd necessariò specificetur ab objecto in linea morali; unde sic arguunt instaurando rationem jam factam: Non potest negari, quòd peccatum in linea morali consideratum, non solum habet privationem & aversionem a debito fine, sed etià conversionem positivam ad objectum pravum, quae conversio ut positiva est, & objectum tangit, moralis est, quia est voluntaria & regulis rationis subjecta; de illa enim conversione ratio & lex dicitur, & idè ut sic moralis est, quia includitur in principiis moralibus, scilicet in ratione voluntariè & regulabilis; unde, ut jam dictum est, Deus in Scriptura Jerem. 2. non solum conquiritur de aversione, sed etià de conversione: & Osee 9. qui tendunt per dilectionem positivam in objectum malum, sunt abominabiles, sicut ea, quae dilexerunt. Cùm ergo in peccato sit tendentia positiva praeter privationem & aversionem a Deo, & illa tendentia sit moralis & mala, debet esse formale constitutum peccati in actu morali. Patet Conseq. quia ipsa natura actuum petit habere suam speciem ex objecto suo per tendentiam & respectum positivum ad illud: si ergo in actu peccati invenitur tendentia positiva ad objectum, eaque moralis & mala, cur non constitueret talem speciem mali actus, sicut alii actus constituuntur in suis speciebus per tendentiam positivam ad objecta. Ita Joannes a S. Thom. fit cùm dicitur, quòd illa tendentia sit mala fundamentaliter tantum, & non formaliter, concedunt, quòd sit mala fundamentaliter, intelligendo de malo simpliciter, quòd est mera negatio, aut privatio; at dicitur esse malam formaliter, intelligendo de malo morali & respectivo, quòd S. Thom. toties dicit non esse puram privationem, sed aliquid reale positivum; cùm enim sit in linea morali & mala, habet suam speciem formaliter constitutam ex objecto sicut tendentia aliorum actuum. Et quantum ad universale metaphysicum & logicum, cujus exemplo utitur Contenson, respondent nullam esse faciendam paritatem inter entia realia & figmenta mentis nostrae, quae diversos in rebus status pro libitu producit.

Ceterum, ut hic aliquid de meo proferam: Posita secunda explicatio Contensoni de privatione concomitante; itè posita sententia, quae tribuitur Capreolo & Ferrariensi, quam sequitur Serra, nec rejicit Joannes a S. Thom. de privatione etià concomitante, de qua supra §. praec. non videtur latum admodum discrimen inter has duas sententias, pro quibus tam diu & tam acriter hucusquè dimicatum est, & vix non conciliantur. Patetur namquè Contensonus, quòd privatio concomitans non sit neque genus, neque differentia, sed modus imbibitus in actu malo, eo fere modo quo obscuritas involvitur in actu fidei. Hoc ipsum dicunt laudati assertores positivi. Agnoscent pariter, privationem non esse neque genus, neque differentiam, sed modum imbibitum in actu malo, sicut obscuritas involvitur in actu fidei. In quo ergo differunt? In hoc solo, quòd Contenson dicat hanc privationem constituere rationem essentialem actus mali; alii verò dicunt esse dumtaxat modum essentialem. Quae discrepantia non videtur tanta, ut tot conflictus cieret. Hoc unum adverteo, assertores positivi videri quantum ex hac parte magis consequenter loqui, quam Contenson: agnoscat enim utriusque, privationem non esse neque genus, neque differentiam, sed modum intrinsecè imbibitum in actu malo, sicut obscuritas involvitur in actu fidei: consequens ergo videtur, quòd ista privatio sit modus essentialis, & non ratio essentialis peccati; quia obscuritas in fide non est ejus ratio essentialis, sed dumtaxat modus essentialis.

Ad 2. rationem respondent solutione ibidem data. Ad 3.

rationem respondent, quòd moralitas in communi non sit genus univocum ad bonitatem & malitiam, sed analogum importans duas diversas rationes, unam positivam, alteram negativam: sicut in sententia Cajetani, malum non est univocum, sed analogum respectu mali morali, & transcendentalis. At instant alii, in tendentia illa positiva actus ad objectum malum, quae est vera species in linea morali; non bona, non indifferens; ergo mala. Aliud non est verum genus sine speciebus; genus autem morale est verum genus sine alia genera. Quòd autem malum ut sic non sit verum genus nec univocum ad malum morale & transcendentalis, non tam debet dici sententia Cajetani, quam S. Thom. in pluribus locis cit. Ad 4. dictum est §. praec. pro & contra.

Pro explanatione 5. rationis, quae contra utramque sententiam militat, sit

§. III. Utrum Privatio rectitudinis, quae reperitur in peccato, sit privatio rectitudinis debita actu.

Quidam dicunt, esse privationem rectitudinis debita ipsi potentiae operanti: quidam negant, esse privationem, sed simplicem negationem, qui actui intrinsecè malo, v. gr. odio Dei, nulla debetur rectitudo, quin imò ipsi repugnat. Pro explanatione tertiae & verae sententiae, Dico: In peccato commissionis est privatio rectitudinis debita inesse ipsi actui. Est expressa sententia Auctoris in hac parte q. 18. art. 1. o. ubi ait: *Dicendum, quòd omnis actio in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate in quantum verbò deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quae debetur actioni humanae, in tantum deficit a bonitate, & sic dicitur mala.*

Prob. ratione: Privatio est carentia formae in subjecto capaci, seu cui debetur; atqui carentia rectitudinis est in actu, & hac rectitudo illi debetur: ergo. Major est definitio privationis, proit distinguatur a negatione. Minor quoad 1. partem patet; quia certum est, quòd actus malus caret rectitudine, nam si ille inesset rectitudo, non foret malus. Sed difficultas est in 2. parte minoris, quomodo nempe actus intrinsecè malo, v. gr. odio Dei debetur rectitudo, quae essentialiter illi repugnat. Igitur

Prob. 2. pars Minoris. Actus, quantumvis intrinsecè malus consideratus ut humanus & liber, seu ut egrediens a libera voluntate, indiget & exigit regulam per rationem: ergo debetur illi hac regulatio, seu rectitudo; & si illa caret, merito dicitur illa privari. Prob. Ant. 1. Sicut actui voluntatis est debitum & necessarium ferri in objectum ut cognitur, ita est illi necessarium & debitum regulari per dictamen rectae rationis, est enim voluntas appetitus rationalis. 2. Omnis actus voluntatis, quantumvis malus, fertur in bonum saltem apparens, in quo quaerit suam beatitudinem: ille autem amor beatitudinis est per se bonus; sed elicitur malus; & si illa caret, merito dicitur, ut appetat beatitudinem, in quo & quomodo oportet: ergo omnis actus, qui humanus & liber, indiget & exigit regulam per rationem & legem.

Et hinc patet responsio ad rationem contrariam; & quomodo actus intrinsecè malo, v. gr. odio Dei, debetur rectitudo. Non equidem illi debetur in sensu composito & reduplicative ut tendenti in objectum pravum, consequenter ut peccato: id implicat in terminis; illi enim ut sic obliquitas est essentialis, nec potest illam exuere, nisi destruat; sed illi debetur consideratio specificativè, ut actus humanus est ut tendens in beatitudinem, sicut in sensu diviso. Sicut motui tibiae curvae, ut vitalis est, debetur rectitudo; licet in sensu composito, & ut procedat a tibia curva, illi non debetur, sed repugnet.

Dices: Juxta hanc rationem actus malus non privatur rectitudine, nisi secundum gradum genericum actus humani & liberi; atqui id non potest admitti: ergo. Prob. Min. Multipliciter. 1. Quia sic aqua posset dici privari calore, & leo rationalitate; aqua enim secundum gradum genericum corporis est capax caloris, & leo secundum gradum genericum animalis est capax rationalitatis. 2. Quia ratio generica est indifferens ad omnes species: sic animal est indifferens ad speciem bovis, & ad speciem equi: si ergo actus humanus est tantum genericè capax rectitudinis, est pariter capax malitiae; & sic aequè dicitur privatus malitia & rectitudine. 3. Quia odium Dei, v. gr. secundum suam speciem non erit privatum rectitudine, sed solum secundum gradum genericum, & sic secundum speciem non erit malum, quòd est absurdum. 4. Ratio communis generica actus humani est indifferens, non solum ad hanc, vel illam virtutem, sed ad omnes: ergo quolibet peccatum habebit privationem omnium virtutum & omnium bonitatum, quia omnes possunt convenire rationi genericae, quòd est aliud absurdum. R. Equidem actum malum privari rectitudine secundum rationem genericam. Actus humani & liberi, ut tamèn in hac

hac specie & in hoc individuo, quia haec species, hoc individuum continent materiam regulabilem. Neque inde sequitur ulum ex inconvenientibus objectis. Pro quo

Notandum 1. Ut subjectum dicatur privatum aliqua forma, qua caret, non sufficere, quòd sit simpliciter capax illius, sed requiri, quòd illam exigit, seu ei aliquo modo debeatur. Unde, v. gr. homo in puris naturalibus, quamvis fuisset capax gratiae, non tamèn fuisset illa privatus, quia illo non debebatur. Notandum 2. aliquam formam posse esse debitam alicui subjecto dupliciter, debito scilicet physico, & legalis. Debitum physicum est, cùm subjectum ex principiis suis naturalibus exigit talem formam: sic cuilibet essentiae debentur propriae passiones. Debitum legale est, quòd provenit ex aliqua lege, ut contingit in omnibus mensurabilibus & regulabilibus, ut sunt moralia & artificialia: sic artefactum secundum leges artis exigit talem formam: sic actus humanus secundum leges rationis exigit talem dispositionem.

Ex his spontè fluunt solutiones instantiarum. Unde ad 1. Aqua non dicitur privari calore, neque leo rationalitate, quia ratio generica corporis in aqua non magis exigit calorem, quam frigiditatem, & ratio generica animalis in leone non magis exigit rationalitatem, quam irrationalitatem; sed tam corpus, quam animal ad utramque speciem est aequaliter indifferens. Dicitur tamèn talia privari visu, quia visus est debitus, vel rationi genericae animalis, vel saltèm similibus speciebus animalium terrestrium. Ad 2. N. Conseq. Quia rectitudo debetur actui debito legali, non malitia: rationi autem genericae animalis non magis debetur species leonis, quam equi, sed ad utramque est aequaliter indifferens.

Ad 3. N. Sequelam: Tùm quia odium Dei est privatum rectitudine secundum rationem genericam, non seorsim & in abstracto, sed illemet actus odii in specie & in individuo, proit praebet materiam regulandam a ratione, & ut est actus liber, exigit rectitudinem debitam, qua idèo privatur; sicut domus malè edificata, etià individualiter considerata, exigit perfectionem debitam, quia ex parte materiae suae est ei debitum conformari regulis artis. Tùm quia, ut actus dicitur secundum speciem privatus rectitudine, & malus, non requiritur, quòd rectitudo ei debetur secundum differentiam; sed sufficit, quòd ei debetur secundum rationem genericam: hoc ipso enim ratio generica debet contrahi per differentiam bonam, ita ut, si contrahatur per malam, species fiat mala & privata rectitudine debita. Hac instantia non habet vim in sententia stante formale peccati in positivo: juxta illam enim odium Dei constituitur malum in sua specie per ordinem ad objectum indebitum, non per privationem, licet illa connotetur.

Ad 4. D. Ant. Ratio generica in abstracto & seorsim est indifferens ad omnes virtutes, C. Ratio generica ut in tali materia, N. Natura enim, proit determinatè talis, non potest versari circa omnem virtutem & omnem bonitatem, sed circa virtutes & bonitates sui ordinis, puta charitatem, vel justitiam, si sit in materia charitatis vel justitiae; unde ratio generica, ut in tali materia, non est capax omnis rectitudinis.

Inst. 1. Rectitudo, qua privatur peccatum, v. gr. odium Dei, est rectitudo charitatis, quia odium Dei non privatur omni rectitudine omnium virtutum, ut modo dicebatur, sed tantum rectitudine in hac materia, & virtutis sibi oppositae; atqui rectitudo charitatis non est semper debitum actui, etià debito legali: ergo. Prob. Debitum legale oritur ex lege, sed odium Dei potest elici tunc cùm non obligat praecipuum charitatis, praecipuum enim affirmativum charitatis non obligat pro semper; praecipuum autem negativum prohibens odium Dei obligat pro semper: ergo. Multi respondent, hic currere duplex praecipuum, unum negativum prohibens odium Dei, alterum affirmativum, non absolutum, sed vel conditionatum obligans agere conformitèr ad regulas charitatis, si in hac materia velit operari; vel disjunctivum, aut non operandi circa Deum, aut operandi secundum regulas charitatis. Sed quia juxta hanc solutionem dicendum foret, quòd praecipuum istud affirmativum conditionatum, aut disjunctivum violaretur per peccatum commissionis, nempe per odium Dei (privatio enim charitatis ibi adjuncta non potest dici peccatum omissionis, alioquin omne peccatum foret omissionis, cùm omne peccatum habeat privationem rectitudinis) & tamèn praecipuum affirmativum violatur omissione, sicut negativum commissione; idèo fortè melius

R. esse ibi unicum praecipuum negativum; quòd per se primò obligat, ne quis faciat contra legem in tali materia, v. gr. ne Deum odium habeat, sed ex consequenti, & per necessariam illationem ortum ex illo praecipuo negativo obligatur habere rectitudinem, non absolute, sed si velit facere actum, alioquin peccaturum contra praecipuum negativum. Sic v. gr. hoc ipso quòd in materia justitiae datur praecipuum negativum non firmandi, & in materia charitatis Deum non odio habendi, se-

quitur quòd, si quis velit operari in illis materiis, debeat operari secundum regulas rationis, ne faciat contra istud praecipuum negativum. Itaque praecipuum negativum directè praecipit, ut non faciat tale opus in tali materia; ex consequenti autem praecipit, quòd ex suppositione quòd velit operari in hac materia, rectè operetur, alioquin facturus contra praecipuum negativum. Non videntur igitur hic requiri duo praecipua, unum negativum, alterum affirmativum, etsi conditionatum, aut disjunctivum; sed sufficit unum negativum, quòd directè tangit prohibitionem actus, & indirectè atque ex consequenti obligat, ut si velit operari in tali materia, rectè operetur, quia alias non servaret praecipuum negativum: ut si velit operari in materia charitatis, & non operari secundum regulas charitatis, peccabit peccato odii Dei contra praecipuum negativum.

Et haec plusquam satis de quaestione, quam olim despexit Apostolus Petrus. Refertur enim in Recognitionibus Apostolicis sub nomine S. Clementis, Simonem Magnum in solenni disputatione, habita Romae cum S. Petro, interrogasse S. Petrum: *Quid sit peccatum? Estne natura aliquis positiva: An verò solum privatio?* Quam interrogationem despiciens Apostolus respondit: *Non praecipit nobis Dominus requirere naturam peccati, sed docere quomodo fugiendum.*

## ARTICULUS IV.

## De Peccato Omissionis.

§. I. Utrum Peccatum Omissionis possit esse absquè omni actu?

Dico: Peccatum omissionis potest esse absquè omni actu, qui sit de essentiali ejus ratione; non tamèn sine omni actu, qui sit causa, vel occasio illius (*Hic q. 71. art. 5. o.*) Rom accipi in exemplo. Caecitas v. gr. in suo essentiali conceptu non importat actum, cùm sit mera privatio; tamèn non potest esse in individuo & a parte rei sine aliquo actu alterante oculum, qui sit causa illius. Ita ommissio voluntaria & culpabilis in suo essentiali conceptu non importat actum, sed meram privationem; non potest tamèn esse voluntaria, nec consequenter culpabilis in individuo, & a parte rei sine aliquo actu, qui sit causa, vel occasio illius; ita ut actus non requiratur ex parte operis, sed operantis. Hanc Conclusionem cum suis momentis & argumentis in contrarium asseruimus in Tract. de actibus humanis Dissert. 1. art. 3. illic te remitto, Lector, ne eadem otiosè repetam.

§. II. Utrum omnis actus omissioni adjunctus, & cum observantia praecipii quòd omittitur incompossibilis, sit peccatum? & cujus speciei?

Actus incompossibilis cum observantia praecipii potest dupliciter conjungi cum omissione. 1. Ut causa, vel occasio illius, sicut dùm quis propter studium omittit Sacrum. 2. Concomitantè, sicut dùm quis propter frigus firmiter proposuit non audire Sacrum; interim, ne domi maneat otiosus, studet.

Dico 1. Omnis actus, quamvis ex objecto bonus, qui est causa, vel occasio omissionis actus praecipii, vitatur ex ipsa omissione, & fit malus. Actus verò, qui non est causa, vel occasio omissionis, sed tantum concomitantè se habet ad illam, quamvis sit cum actu praecipio incompossibilis, nisi sit aliud malus, non est peccatum, nec vitatur ex omissione. Unde, qui ex affectu ad studium omittit Sacrum, studium est malum: qui verò post firmum propositum omittendi Sacrum, ne maneat otiosus, studet, studium non est peccatum. Patet 1. pars 1. quia ponere causam, vel occasionem peccati est consentire in peccatum, & illud velle indirectè; atqui consentire in peccatum, & illud velle etià indirectè, est peccatum, Rom. 1. 2. Quia eodem praecipio prohibetur ommissio & actus, qui est causa, vel occasio ejus: sic v. gr. praecipuum affirmativum audiendae Missae includit virtualitèr praecipuum negativum prohibens omnia impediencia auditionem Missae. 3. Quia ille actus, v. gr. studium, fit tempore debito: ergo. Et hoc sensu intelligendus est S. Thom. q. 2. de malo art. 1. ad 7. ubi dicit: *Hoc ipsum, quòd est laudare Deum ore, potest malè fieri, si hoc fiat, quòd non debet, quòd scilicet homo alta facere tenetur.* Loquitur enim S. Doctor de laudatione Dei externa quatenus est causa, cur omittatur actus praecipuus. Secunda pars etià patet; quia, cùm iste actus, neque ex se, neque ex circumstantiis supponatur malus, nullam potest habere malitiam nisi ex omissione: nullam autem habere potest ex omissione, ejus non est causa, vel occasio, sed ad quam per accidens tantum & concomitantè se habet: ergo.

Si dicas, hunc actum fieri tempore debito. R. facta suppo-



positione, quod quis efficaciter se prius determinaverit actum preceptum omittere, v. gr. Sacrum, tunc studium non fit tempore formaliter & privatim indebito, sed materialiter tantum, quia tunc studium non prohibetur ratione sui, sed ratione omissionis Sacri, cuius non est causa, vel occasio. Unde melius est tunc studere, quam manere otiosus.

Secd petes, quoniam actus censetur esse causa, vel occasio omissionis, vel tantum concomitantem se habere ad illam? R. ut jam insinuavimus, actum cum adimplentione precepti impossibilem tunc se habere tantum concomitantem ad omissionem, quando supponit in agente firmum & efficacem propositum omittendi, estque ita animo paratus, ut si etiam actum hunc non poneret, nihilominus preceptum omitteret: quia, cum tunc actus supponat causam sufficientem omissionis, non potest dici causa illius.

Intellige tamen, modo non sit alius actus, qui simul auferat potentiam adimplendi preceptum, & causa quo sit locus & spes retractandi malum propositum: quia tunc, licet iste actus se haberet consequenter, seu concomitantem tantum ad primam omissionem, haberet tamen antecedenter, & casualiter ad sequentes, casu quo mutaret voluntatem, cuius mutationis supponitur adesse spes & locus. Imo committeret novum peccatum ab omissione distinctum; quia, non solum non obediendo precepto peccatum est, sed & maxime auferre sibi possibilitatem adimplendi, quod est cordis obdurati argumentum.

Ex his inferes 1. Clericum navigantem, qui post impium propositum non recitandi horas per totam & longam navigationem proicit suum Breviarium in mare, praeter omissionem, distinctum peccatum committere explicandum in confessione propter impossibilitatem, quam voluntarie contrahit adimplendi precepti, dum est locus & spes ob duritatem temporis retractandi malum propositum. Idem cense de eo, qui post firmum propositum non servandi votum castitatis, uxorem ducit. Item de illo, qui post firmam voluntatem non restituendi aliena, ea dissipat, & de aliis similibus. Secus de illo, qui post efficacem propositum non audiendi Sacrum, se somno dat instante tempore Sacri; quia non est verisimile, quod in tam brevi intervallo mutaret sententiam, ac proinde somnus non censetur tollere potentiam moralem audiendi Sacrum, sed ablatam supponere. Inferes 2. ludentes tempore Sacri cum eo, qui prius firmiter statuit non audire Sacrum, non peccare; quia iste ludus cum concomitantem tantum se habet ad omissionem Sacri, non est peccatum, sique colludentes non participant peccato alienis: secus propter rationem oppositam dicendum esset, si propter ludum omitteret Sacrum. Inferes 3. Eum, qui vovit studere, dum non esset domi occupatus, post firmum propositum non audiendi Sacrum, teneri ad studium; quia, cum studium tunc non sit peccatum, sed opus ex se honestum, est sufficiens materia voti.

Dico 2. Quamvis actus, de se bonus, aut indifferens, qui est causa, vel occasio omissionis culpabilis, fiat malus, communis tamen sententia est contra paucos, non esse malum alia in alia, quam omissionis; sique non esse necessario explicandum in confessione, ita ut, qui Sacrum omisit propter studium, aut ludum, sufficit, si dicat se omisisse Sacrum.

Ratio est; quia, sicut voluntas omittendi non est peccatum, neque specie neque numero distinctum ab ipsa omissione (voluntas enim omittendi se habet ad omissionem, sicut actus interior ad exteriorem, qui interiori nihil bonitatis, vel malitiae addit) ita nec actus, qui est causa, vel occasio omissionis, quippe qui in tantum est malus, in quantum includit voluntatem omittendi. Confirmatur 1. Omissio & actus, qui est causa, vel occasio illius, eodem precepto prohibentur, ut iam dictum est; lex enim, quae praecipit audire Sacrum, v. gr. includit preceptum negativum prohibens poni actum impeditivum auditionis Sacri: ergo tam actus, quam omissio sunt contra eandem virtutem Religionis. Confirmatur 2. Ex praxi communi Tribunalis Penitentiae, in quo neque fideles solent se accusare de causis omissionum, neque Confessarii solent de his interrogare: qui enim omisit Sacrum propter studium, aut ludum, accusat simpliciter se culpabiliter omisisse Sacrum, & nihil aliud.

Dices 1. Qui propter studium omittit Sacrum, studet tempore indebito; atqui ad virtutem studiositatis pertinet moderatum studium etiam quoad tempus: ergo studium in hoc est contra virtutem studiositatis, & non solum Religionis, sique peccatum distinctum ab omissione. R. D. Maj. Studet tempore indebito ratione studii, N. Maj. Istud enim tempus non est minus opportunum studio, quam aliud, si studium consideretur in se. Tempore indebito ratione Sacri, C. Maj. Ad hunc sensum, D. Min. Ad virtutem studiositatis pertinet moderatum studium quoad tempus, quod ipsum studium secundum se spectat, ut, v. gr. nec nimium, nec minus sit, C. Min. Quoad tempus,

quod ipsi studio est opportunum, sed debet officis Religionis impendi, N. Min. Cum enim haec circumstantia sit extra obiectum studiositatis, sed spectet obiectum Religionis, ad hanc & non ad studiositatem pertinet illud tempus regulare.

Dices 2. Qui propter studium omittit Sacrum, constituit in studio suum ultimum finem, illudque plus appetitively diligit, quam Deum: ergo est speciale peccatum. R. N. Conseq. Ex Antecedente equidem bene sequitur, quod studium in hoc casu sit mortale peccatum; at non, quod sit peccatum mortale distinctum ab omissione Missae; quia diligeret creaturam appetitively plusquam Deum, seu averit a Deo ut ultimo fine, est conditio generalis omnis peccati mortalis, quae specialem malitiam contra charitatem non confert actui, nisi directe sit voluta, quod raro contingit.

§. III. Quo tempore fiat peccatum omissionis.

Quaestio non est de casu, quo quis actu sciens & volens omittit adimplere preceptum hic & nunc occurrentis, v. gr. dandi eleemosynam indigentem occurrenti. Certum est enim, quod pro tunc fiat peccatum omissionis. Sed quaestio est de casu, quo quis, dum urget preceptum, est impotens illud adimplere; v. gr. manet providens obligationem audiendi Missam se inebriavit; queritur, an peccet peccato omissionis, quando se inebriavit, an quando currit tempus audiendi Missam?

Dico: Peccatum omissionis fit utroque tempore, inchoative & quoad affectum, quando ponitur causa; consummative & quoad effectum, quando adest tempus adimplendi; modo tamen omissio maneat voluntaria in sua causa. Prima pars ab omnibus admittitur, & patet; quia tunc incipit peccatum, quando incipit voluntas peccandi; atqui, qui ponit voluntarie causam omissionis culpabilis, vult saltem indirecte ipsam omissionem culpabilem: ergo.

Prob. 2. pars, quae maxime controversatur 1. Ex D. Thom. hic quaest. 71. art. 5. ad 3. ubi ait: *Solum pro tempore illo aliquid cessando ab actu peccat* (scilicet consummative & quoad effectum) *pro quo preceptum affirmativum obligat.* Et 2. 2. quaest. 79. art. 3. ad 3. *Omissio incipit imputari ad culpam* (item consummative, & quoad effectum) *quando fuit tempus operandi, tamen propter causam praecedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria:* quae ultima verba indicant inchoatum fuisse peccatum in positione causae; consummatum tamen, quando adest tempus operandi.

Prob. 2. ratione deducta ex verbis cit. S. Thom. & quae evertit fundamentum sententiae oppositae. Peccatum omissionis consistit in privatione voluntaria actus debiti; atqui, dum de facto accidit omissio, tunc datur privatio actus debiti, talisque privatio est sufficienter voluntaria, ut sit peccaminosa ergo. Prima pars Minoris constat. Prob. 2. de qua est difficultas: ut aliquid sit in se peccatum, sufficit, quod in causa sua sit voluntarium; atqui omissio contingens v. gr. in somno, vel ebrietate est in sua causa voluntaria; supponimus enim somnum, vel ebrietatem fuisse liberè posita: ergo. Prob. Maj. 1. variis exemplis: Sic pollutio nocturna, licet non sit in se formaliter libera & voluntaria, est peccatum, quia est voluntaria in causa, puta turpi cogitatione, vel tactu. Sic homicidium in ebrietate perpetratum ab eo, qui ipsum praeviderat, est in se peccaminosum, quia est voluntarium in causa, ut docet S. Thom. 2. 2. quaest. 150. art. 4. Sic actus peccati ex ignorantia vincibili sunt in se peccaminosi, licet in se involuntarii, ut potè incogniti, sed tantum voluntarii in causa, nempe ignorantia: ergo. 2. Si ad formale peccatum requireretur semper, quod esset in se voluntarium, & non sufficeret voluntarium in causa, nullum homicidium, nulla pollutio, idem die de pluribus aliis, foret in se peccatum; quia, dum de facto eveniunt, non sunt amplius in potestate occidentis, aut pollutentis. 3. Non plus requiritur voluntarii ad demerendum, quam ad merendum; atqui ad merendum sufficit voluntarium in causa, ut patet in Martyre, qui in instanti mortis meretur aureolam Martyrii, aut saltem in eo instanti, quo lethale vulnus accepit, in quo tamen saepe non est amplius sui compos: ergo.

Prob. 3. alia ratione: Peccatum omissionis consistit in voluntaria cessatione ab actu debito; atqui ante tempus, quo currit obligatio precepti, actus non est debitus: ergo. Sicut itaque, quando quis vult furari, antequam auferat alienum, nondum est peccatum furti completum; ita, quando quis vult omittit, antequam omittat, nondum est peccatum omissionis completum. Confirmatur 1. Si esset lata excommunicatio in non audientes Sacrum, eam incurreret, qui de facto non audiret, instante obligatione, non autem qui poneret causam omissionis; atqui excommunicatio non incurritur nisi propter peccatum: ergo. Confirmatur 2. Omissio actualis debet exprimi in Confessione: ergo est peccaminosa. Negant Antecedens Adversarii

rii, sed in hoc contradicunt communi praxi Fidelium, & Confessoriorum. Insuper prob. 1. Actus externus est efficaciter voluntate consequens debet accusari: ergo a pari actualis omissio. 2. Per solam causam confessionem saepe non potest innotescere numerus omissionum, ut patet in eo, qui proicit Breviarium suum in mare.

Prob. tandem ab inconveniendi: Si omittit Sacrum in somno vel ebrietate voluntaria non esset in se peccatum, sed tantum effectus peccati, ut volunt Adversarii, liceret velle sic omittit; sicut licet mulieri, quae concepit ex adulterio, velle, & desiderare partum; & ei, qui manducavit carnes die veneris, velle ex eis nutrire; quia haec sunt dumtaxat effectus peccati, non in se peccata, sed tantum in causa; atqui falsum Consequens: ergo.

Dixi in conclusione: modo tamen omissio maneat voluntaria in sua causa; quia, si quis priorem malam voluntatem retractaret, & de causa culpabiliter data eum penitenter autè tempore adimplentionis, aut dum urget, non peccaret omittendo; quia tunc omissio non censetur amplius voluta, nec sequi ex vi praecedentis voluntatis saltè moraliter, sed ad summum physicè.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Nullum est peccatum, nisi liberum; atqui omissio, dum ponitur in casu Conclusionis, non est libera: ergo non est peccatum, sed effectus peccati. R. D. Maj. Nullum est peccatum nisi liberum in se, vel in sua causa, C. Semper in se, N. Patet solutio ex probationibus Conclusionis.

Inferes: Ergo talis omissio est tantum peccatum in sua causa, & non in se, quod est ipsa Adversariorum sententia. Prob. Illatio. Eo modo aliquid est peccatum, quo est liberum; atqui omissio in casu est tantum libera in causa: ergo. R. D. Illatum: ergo talis omissio non est peccaminosa in se, a se, C. In se, a causa, N. Et hoc est, quod negant Adversarii: volunt enim omissionem sic esse peccaminosam in causa, ut denominatio peccati sistat in ipsa causa, nec transeat ad omissionem in se, proinde distinguitur a statu intra causam, sicut ea, quae sunt meri effectus peccati, ut v. gr. partus ex adulterio sic est peccaminosus in causa, ut denominatio peccati ad illum in se non transeat. Nos verò dicimus, denominationem peccati non sistere in ipsa causa omissionis, sed transire ad ipsam omissionem in se, proinde distinguitur a statu intra causam; non ita quidem quod ipsi a se conveniat malitia, sed quod ipsi conveniat in se dependenter a causa, in qua est voluntaria, eo proportionali modo, quo diximus actum exterio-

rem denominari, & esse in se peccatum, non a se, sed ab actu interiori, a quo, & in quo solo est formalis libertas: & sicut actus exterior non addit ad malitiam actus interioris, ita fatemur, quod omissio non addat distinctam malitiam priori: voluntati: sed sit mala eadem malitia, qua ipsa voluntas est mala; voluntas malitia inchoata, omissio eadem malitia extensa, & consummata: unde ad probationem, quatenus praesenti solutioni contradicit, D. Maj. Eo modo aliquid est peccatum, quo est liberum in se, vel in causa, C. Necessario in se, N.

Inst. Quando de facto dormiens aut ebrius omittit Sacrum, non potest illam omissionem vitare; atqui nemo peccat in eo, quod vitare non potest, cum ad impossibile nemo teneatur: ergo. R. 1. Retorquendo argumentum. Quando de facto quis pollutur, aut occiditur, non est amplius in potestate illius, qui causam pollutionis, aut mortis dedit, impedire vel pollutionem vel occisionem; atqui nemo peccat in eo, quod vitare non potest: ergo talis, dum de facto pollutur, aut alterum consummative, & in ultimo puncto occidit, non peccat; quod nemo concedit. Unde R. 2. D. Maj. Non potest illam omissionem vitare, sed potuit, C. Nec potuit, N. Sufficit autem, ut aliquid sit imputabile in se, & peccatum, quod potuerit vitari, & voluntarie non fuit vitatum voluntate adhuc moraliter perseverante. Vel D. Conseq. ergo non peccat peccato habente malitiam distinctam a priori voluntate, C. Peccato habente eandem malitiam extensam, & consummatam, N. Solutio patet ex praeced. respon.

Repones: Ad actuale peccatum requiritur actualis libertas: ergo non sufficit, quod prius potuerit vitari. R. D. Ant. Ad actuale peccatum requiritur actualis libertas in se, vel in causa, C. Necessario in se, N. Patet ex dictis. Porro libertas, quae fuit in ponenda causa omissionis, censetur actualis adveniente omissione, quatenus non retractata censetur moraliter perseverare. Vel alii terminis D. Requiritur libertas actualis formalis, vel virtualis, C. Necessario actualis formalis, N. In idem redit.

Urgebis: Albedo non denominat parietem album, nisi illi actu formaliter inhaereat: ergo actus voluntatis non denominat omissionem liberam, nisi actu formaliter existat. R. N. Conseq. Disparitas est, quod albedo sit forma physica, requi-

rens proinde praesentiam physicam, ut subiectum denominet, libertas autem est forma moralis, ad quam sufficit existentia moralis, ut suam denominationem conferat.

Insistes: Haec omnes solutiones videntur adversari Aug. qui l. 1. de Exposit. quarundam propositionum ex Ep. ad Rom. dicit de Pharaone: *Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaverit, sed quia dignum se praebuit, cui cor obduraretur priori infidelitate:* ergo. R. Ly quod in verbis Augustini causaliter pro Quia, ut patet ex posteriori vocula adversativa, sed quia. Unde sensus est, quod inobedientia Pharaonis non ideo praecise sit ipsi imputata, quia tunc obduratus non obediit; sed quia posuit voluntarie causam obdurationis, & inobedientiae; quod totum nos concedimus. Non negat tamen Aug. ipsam inobedientiam esse in se peccaminosam ex libera illa causa posita. Hoc sensu intelligendus est etiam S. Thom. in suppleni. q. 98. art. 6. ad 3.

Obj. 2. Si omissio esset peccaminosa pro instanti, quo urget preceptum, sequitur, quod quis possit peccare reitente voluntate, ut si tunc, vel antea de causa omissionis, & de ipsa omissione doleat; atqui falsum consequens: ergo. R. N. Sequelam; quia, ut diximus, retractata per penitentiam causa omissionis, omissio non censetur amplius voluntaria, adeoque nec peccaminosa.

Inst. 1. Ideo secundum nos est peccaminosa propter causam realiter positam; atqui penitentia non potest efficere, quin fuerit causa realiter posita: ergo. R. D. Maj. Propter causam realiter positam, & moraliter perseverantem, C. propter causam praecise realiter positam, sed retractatam, nec moraliter amplius perseverantem, N.

Inst. 2. Ei, qui propinavit alteri venenum, vel vulnus lethale infixit, non imputatur culpa homicidii, quando advenit mors, sed quando propinavit venenum, vel vulneravit: ergo similiter. R. D. Ant. Ei, qui alteri propinavit venenum, &c. non imputatur culpa homicidii, quando advenit mors, si priorem voluntatem retractaverit, & de causa posita eum penituerit, C. accusandum est tamen in confessione homicidium, inquit Soto in 4. d. 12. q. 1. art. 7. quia ante non consistit esse homicidium. Si non retractavit priorem voluntatem, N.

Inferes: ergo, si non retractavit priorem voluntatem, continuo peccat, quousque mors sequatur. R. D. Illatum: ergo continuo peccat, peccato ejusdem malitiae cum causa, quam posuit, C. Peccato distinctae, & superaddite malitiae, N. Non enim est malum nisi ratione libertatis in causa; quae tamen malitia moraliter informat totam actionem veneni, & totam inflictionem vulneris.

Repones: Qui injuste detinet alienum, non continuo peccat: ergo similiter. R. N. Ant. Contrarium namque docuit, & probavi de Justitia Dissert. 8. art. 5. per 2. Est tamen disparitas, quod, qui alienum injuste detinet, continuo peccat libertate formalis actuali; quia, ut suppono, semper potest restituere, & ideo peccat actu formaliter intrinsece, non sedens ad dum primo proposuit non restituere. Qui verò vulneravit alium, aut illi propinavit venenum, non peccat nisi libertate causae, quam posuit, non enim potest actu impedire efficaciam naturalem veneni, vel vulneris. Unde peccat executive tantum, & denominative a malitia causae, sicut dum ipsa mors contingit.

Obj. 3. Ab inconvenientibus. Ex nostra sententia sequitur 1. Hominem in somno posse mereri, & Sacramenta conficere, cum non requiratur major libertas ad merendum, & conficiendum Sacramenta, quam ad peccandum. 2. Hominem iustificationem posse peccare mortaliter absque nova libertate, ut si homini dormienti post causam pollutionis liberè posita Deus infunderet gratiam, antequam effectus sequeretur. 3. Hominem adhuc peccare post mortem per effectum, aut omissionem, cuius causam liberè posuit vivens: ergo. R. ad 1. non esse inconveniens, hominem in somno mereri continuatione meriti in vigilia comparati, maxime si effectus per se sequatur ex causa liberè voluta, aut formaliter intendatur, ut in pari diximus de Martyre. Negamus tamen posse valide conficere Sacramentum, non defectu sufficientis libertatis; sed quia Christus, ex communi sensu Ecclesiae, instituit, & voluit Sacramenta confici ab homine sui compote, & cum morali certitudine debite materiae, tum propter reverentiam Sacramenti, tum ob periculum multorum inconvenientium, alioquin futurorum. Adde verba dormientis non esse verba formalia defectu significantionis, sed verba materialia, ut in Psalmo ea profertur. Ad 2. N. Sequelam; quia, supposita possibilitate casus, quam multi negant, ipsa infusio, quae est incompossibilis cum peccato, foret tunc virtualis retractatio prioris voluntatis peccaminosae. Unde de pollutio in hac hypothesis non remaneret moraliter voluntaria, nec consequenter peccaminosa. Ad 3. homo post mortem non remanet homo, legibus humanis subiectus. Quantum ad leges divinas potest anima peccatoris peccare; non tamen demereri, quia est extra statum vitae, & demereri.



Vides in hac usque dictis, quæcumque diximus de omissionibus voluntariis in causa, posse dici de commissionibus, quæ non sunt voluntariæ nisi in causa, ut de homicidio, perjurio, blasphemia, in ebrietate perpetratis: est enim utrobique par ratio. Sed

Petes 1. An ei, qui voluntariè, & culpabiliter causam posuit, imputari debeant omnes omissiones, & commissiones peccaminosæ ex illa sequute? R. & sit Regula generalis. Ei, qui voluntariè, & culpabiliter posuit causam, imputantur quoad reatum, & affectum omnes omissiones, & commissiones peccaminosæ, quas prævidit, aut debuit, ac potuit humano modo prævidere sequuturas ex tali causa; quia hoc ipso sunt ipsi voluntariæ in causa. Sed

Petes 2. Quando quis censetur prævidisse; aut debuisse, ac potuisse humano modo prævidere omissiones, & commissiones peccaminosæ, ut ipsi imputentur ad culpam? R. multipliciter. 1. Quando per se, aut ut plurimum sequitur ex tali causa. 2. Quando quis videt in aliis equalis complexionis similia contingere. 3. Quando præcepta adimplenda proximè instant.

Hinc colliges 1. Quòd, si quis diebus Bacchanalibus ita enormiter in cibo, & potu excedit, ut incidat in infirmitatem, ex qua non potest jejunare diebus sequentibus, tandè omissiones jejunii ipsi imputari, quandiu ex illa infirmitate omittit jejunare; quia illas potuit prævidere, nisi fortè infirmitas præter communem opinionem diutius perseveret, ita ut id moraliter non potuerit prævidere. Quòd si causa posite eum pecciteat, omissiones quoad effectum ipsi amplius non imputantur, sed tantum quoad affectum in causa posita.

Colliges 2. Ei, qui in ebrietate solet rixari, blasphemare, &c. hæc imputari, dum voluntariè se inebriat.

Colliges 3. Quòd ei, qui propter culpam conjicitur in carcerem, excommunicatur, capitur ab hostibus, incidit in infirmitatem inopinatam, regulariter non imputentur omissiones inde sequute, quia, ut suppono, hæc non potuit humano modo prævidere.

Plura circa illa corollaria require in Tract. de Temperantia, Dissert. 3. art. 5. & in Tract. de Actibus human. Dissert. 4. art. 9.

DISSERTATIO II.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA, ET NUMERICA PECCATORUM.

D. Thom. a Q. 72.

ARTICULUS I.

Varia peccati Divisiones.

Peccatum, generalissimè sumptum, dividitur in peccatum originale, quod ab Adamo ad posteros per seminali propagatione derivatur: & personale, quod propria voluntate committitur. Personale subdividitur in actuale, & habituale. Actuale est actus, seu ommissio difformis regulis morum: habituale est macula relicta in anima ex peccato actuali. De peccato originali, & habituali specialiter infra. Nunc de peccato actuali.

Peccatum actuale dividitur 1. in mortale, & veniale. (Q. 72. art. 5. o.) Mortale dicitur, quod mortem anime infert, eam privando gratia sanctificante, quæ est vita anime in ordine supernaturali, & eam avertendo simpliciter ab ultimo fine; undè ex ipsa sua ratione est irreparabile, & inducit reatum vite æternæ. Veniale dicitur, quod, cum gratia, & charitate non privet, sed ejus fervorem tantum diminuat, nec avertat simpliciter ab ultimo fine, sed ab ejus consecutione dumtaxat retardet, relinquit principium vite, & veniæ; undè non est ex natura sua irreparabile, nec inducit reatum poenæ æternæ, sed temporalis tantum. De utroque etiã specialiter infra agemus.

2. Peccatum actuale dividitur in peccatum commissionis, & omissionis, (Ibid. art. 6. o.) de quibus jam diximus. Peccatum commissionis est actus difformis regulis morum; pugnat cum præcepto negativo. Peccatum omissionis est privatio actus debiti; pugnat cum præcepto affirmativo.

3. Peccatum actuale dividitur in peccata carnalia, & spiritalia. (Ibid. art. 2. o.) Peccatum carnale est, quod perficitur in delectatione carnali, quæ ex tactu corporali provenit, ut gula, & luxuria. Peccatum spirituale est, quod perficitur in delectatione spiritali, orta scilicet ex apprehensione alicujus rei ad votum habite, ut superbia, invidia, &c. Quandoque tamen peccatum carnis adeo late sumitur, ut quæcumque fiunt ex prava naturæ corruptæ inclinatione, dicantur opera carnis, ut Galat. 5.

4. Peccatum actuale aliud est contra Deum, aliud contra seipsum, aliud contra proximum. (Ibid. art. 4. o.) Quia triplex ordo debet esse in homine; unus ad Deum, cujus legibus oportet eum subdi; alter ad seipsum, quatenus in his, quæ proprium bonum spectant, debet secundum rationem regi. Et si homo esset animal solitarium, hic duplex ordo sufficeret; sed quia est naturaliter animal politicum, & sociale, necesse est, quòd sit tertius ordo, quo homo ordinatur ad alios homines, quibus convivere debet. Cum ergo peccatum sit actus inordinatus, peccata, quæ sunt contra primum ordinem, dicuntur peccata contra Deum, ut blasphemia, sacrilegium, infidelitas, odium Dei, &c. Peccata, quæ sunt contra secundum ordinem, dicuntur peccata contra seipsum, ut gula, luxuria. Quæ sunt contra tertium ordinem, dicuntur peccata contra proximum, ut furtum, homicidium, &c. Neque dicas, quod omnia peccata sint contra Deum. Equidem sunt contra Deum generali

quadam ratione, quatenus eum offendunt, sed quædam sunt directè, & immediatè contra Deum, ut sunt, sicut jam dixi, odium Dei, blasphemia, & alia opposita virtutibus Theologicis, quæ habent Deum pro objecto; & hæc dicuntur proprie contra Deum. Vel duo priora membra hujus divisionis intelligenda sunt cum exclusione, sic ut peccata contra Deum dicantur, quæ solum sunt contra Deum, & non contra proximum, nec directè contra nos; peccata in nos ipsos, quæ sunt tantum contra nos, & non contra proximum.

5. Peccatum actuale dividitur in peccatum cordis, oris, & operis. (Ibid. art. 7. o.) Hæc tamen divisio non est semper in diversa peccata, sed quandoquæ in diversos gradus ejusdem peccati. Sic v. gr. iracundus ex hoc, quod appetat vindictam, 1. perturbatur in corde, & hoc dicitur peccatum cordis. 2. In verba contumeliosa prorumpit, & dicitur peccatum oris. 3. Proccedit usque ad facta injuriosa, puta percutiendo, occidendo, &c. & dicitur peccatum operis, in quo unum, & idem peccatum completur.

6. Peccatum actuale dividitur in peccatum superabundantiæ, seu per excessum, & peccatum per defectum, (Ibid. art. 8. o.) Primum recedit a medio virtutis illud excedendo, ut prodigalitas; posterius recedit a medio virtutis ab eo deficiente, ut avaritia, inter quæ mediat liberalitas: undè hæc peccata non solum specie differunt, sed sunt sibi contraria.

7. Peccatum dividitur in peccatum infirmitatis, ignorantie, & malitiæ. Peccatum infirmitatis est, quod oritur ex vehementi passione, aliquo usque libertatem minnente, & voluntatem in consensu perturbante: dicitur contra personam Patris, cui tribuitur potentia. Peccatum ignorantie est, quod fit ex ignorantia vincibili, & culpabili, etiã aliquatenus minnente voluntarium: dicitur contra personam Filii, cui tribuitur sapientia. Peccatum ex malitia est, quod cum plena libertate, & quasi de industria absque passione, & ignorantia committitur: dicitur contra personam Spiritus S. cui tribuitur bonitas opposita malitiæ.

8. Peccatum aliud simpliciter tale; aliud in Spiritum S. quod est peccatum ex malitia, quo repelluntur, aut impugnantur specialia gratiæ dona, quæ sunt effectus divini amoris, qui tribuitur etiã Spiritui S. Numerantur septem, scilicet desperatio, presumptio, impoenitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & invidentia fraternæ gratiæ.

9. Alia sunt peccata capitalia, alia quæ ex illis oriuntur. Capitalia numerantur septem ex S. Greg. I. 31. moral. c. 31. scilicet inanis gloria, (quidam ponunt superbiã) invidia, avaritia, ira, luxuria, gula, & acedia.

10. Dividitur peccatum in proprium, & alienum. Proprium, quod ab ipso peccante committitur; alienum, quod ab alio committitur, nobis tamen concurrentibus ratione vel præcepti, vel consilii, & aliis modis his versibus contentis.

Justus, consilium, consensus, palpo, recensus, Participans, mutus, non obstant, non manifestans.

11. Tandem peccatum aliud dicitur materiale, aliud formale; & hoc duplici sensu. 1. Peccatum materiale est ipse actus

actus malus, secundum se, & entitivè consideratus; formale ipsa malitia, seu deformitas istius actus, aut omissionis. 2. Peccatum formale dicitur libera transgressio legis voluntariè imputabilis; materiale transgressio legis non libera, & ideo nec voluntariè imputabilis, ut sunt transgressiones legis ex ignorantia invincibili.

ARTICULUS II.

Undè petatur Distinctio specifica peccatorum?

Quantum ad peccatum omissionis, cum sit secundum se mera privatio actus debiti, specie distinguitur per ipsos actus omisos specie distinctos in esse moris: sicut omnes aliæ privationes distinguuntur per formas speciei distinctas, quibus privant; eo scilicet modo, quo privationes possunt specie distingui: sic surditas, & cæcitas specie distinguuntur per formas speciei distinctas, scilicet visum, & audium, quibus privant. Ita ergo peccata omissionis sunt ejusdem speciei, quibus omittuntur actus debiti ejusdem speciei moralis, v. gr. iterata omisso Sacri: illa vero sunt diversæ speciei, quibus omittuntur actus debiti diversæ speciei moralis, ut ommissio Sacri, & ommissio elemosynæ: actus autem omisso distinguuntur specie penes objecta, ut patet ex dictis de Actibus humanis, & patet ex jam dicendis de peccato commissionis. Quantum itaque ad peccatum commissionis, quidam dicunt specie distingui per virtutes, alii per præcepta, quibus opponuntur, seu, quod idem est, per honestates virtutum, aut præceptorum, quibus privant; alii per ordinem ad objecta specie distincta in esse moris. Hæc omnes sententiæ sunt aliquo sensu veræ. Undè

Dico: Peccata specie distinguuntur per ordinem ad objecta specie distincta in esse moris. (Ibid. art. 1. o.) Hanc Conclusionem tenent cum Auctore omnes Thomistæ, & plures extranei; etiã illi ex Thomistis, qui formale peccati reponunt in privato; quia, inquit, stante diverso ordine ad objecta formaliter diversa, sequitur diversa privatio.

Prob. (Ibid.) Ad naturam peccati duo concurrunt, scilicet actus voluntarius, & inordinatio, quæ est per recessum a lege, & honestate virtutis; atqui specificatio, seu distinctio specifica debet peti ex parte actus, & non ex parte inordinationis; actus autem specificatur per ordinem ad objectum: ergo. Secunda pars minoris constat. Prob. 1. pars: Unumquodque consequitur speciem secundum illud, quod est per se, non autem secundum id, quod est per accidens; quia et, quæ sunt per accidens, sunt extræ rationem speciei; atqui actus peccati per se comparatur ad peccantem, qui intendit talem actum in tali materia, & circa tale objectum; inordinatio autem per accidens se habet ad intentionem peccantis, nullus enim intendens malum operatur: ergo. Confirmatur: Omnis motus specie distinguitur per ordinem ad terminum ad quem, & non per ordinem ad terminum a quo; atqui in motu peccaminoso virtus opposita, seu præceptum, aut privatio honestatis se habet ut terminum a quo, objectum ut terminum ad quem: ergo.

Dices 1. actus humani dicuntur boni, vel mali per ordinem ad finem: ergo peccata, quæ sunt actus humani, secundum fines, & non secundum objecta, distinguuntur. R. Peccata distingui per objecta, vel per fines intrinsecos cujusque ipsorum, esse idem; quia finis proximus, & intrinsecus est objectum actus humani. (Ibid. ad 1.)

Dices 2. Peccatum mortale, & veniale specie differunt; atqui versantur circa idem objectum formale: ergo. R. Hoc argumentum esse in omni sententia solvendum. Sive enim repetas distinctionem specificam peccatorum ex diversis virtutibus, quibus privant, sive ex diversis præceptis, quibus opponuntur, currit eadem difficultas, quia peccatum mortale, & veniale, v. gr. magnum, & parvum furtum, eidem virtuti, & eidem præcepto opponuntur. Quidam ergo respondent, peccatum mortale, & veniale differre tantum specie accidentalit, sicut differunt homo albus, & homo niger; non essentialit. Alii admittunt differre specie essentialit, sed negant versari circa idem objectum formale; quia ratio formalis objectiva peccati consistit in habitudine improporionis ad ultimum finem: hæc autem improporionis in peccato mortali est eversiva ultimi finis, a quo simpliciter, & absolutè avertit; in peccato autem veniali non est eversiva ultimi finis simpliciter, sed mediour tantum, & sic ratio formalis objectiva peccati mortalis specie differt a ratione formalit objectiva peccati venialis. De hoc iterum redibit sermo infra.

Dixi in conclusione: Per ordinem ad objecta specie distincta in esse moris: quia nihil confert ad distinctionem specificam peccatorum distincta species objectorum in esse entis; quod enim quis furetur ovem, aut equum, peccatum Theol. Billuart. Pars Secunda.

ejusdem speciei, scilicet injustitiæ, committit. Sed

Quæstio est, undè objectum habeat, quod specie distinguatur in esse moris? R. generaliter loquendo, objecta specie in esse moris distinguuntur, quando habent specialem, & distinctam repugnantiam cum lege æterna, & recta ratione. Habent autem specialem, & distinctam repugnantiam, seu deformitatem cum lege æterna, & recta ratione ex duplici capite. 1. Quando opponuntur diversis virtutibus; sicut enim quælibet virtus habet specialem, & distinctam bonitatem, ita objectum illi oppositum habet specialem, & distinctam malitiam, undè furtum, quod opponitur justitiæ, distinguitur a perjurio, quod opponitur Religioni. 2. Objecta habent distinctam malitiam, seu repugnantiam cum lege, quando opponuntur etiam eidem virtuti, sed diverso modo, puta unum per excessum, aliud per defectum, vel aliis diversis modis. Sic prodigalitas, quæ opponitur liberalitati per excessum, distinguitur ab avaritiâ, quæ eidem liberalitati opponitur per defectum: sic Furtum, & Rapina, Contumelia, & Detractio, licet opponantur eidem virtuti justitiæ, quia tamen illi opponuntur diversis modis specialem repugnantiam cum ratione habentibus, specie distinguuntur. 3. Objecta habent specialem, & distinctam malitiam, seu deformitatem, quando opponuntur præceptis diversis, non materialiter, & ex parte principii, sed formaliter, & ex parte rei præceptæ, seu motivi intrinseci. Pro quo

Observandum est, præcepta posse distingui dupliciter: 1. Ex parte principii tantum, seu præcipientis, quatenus sunt a diversis superioribus, qua ratione differunt præcepta juris divini, & humani, juris Ecclesiastici, & Civili. 2. Ratione rei præceptæ, seu motivi intrinseci prohibendi, qua ratione v. gr. præceptum prohibens furtum simpliciter distinguitur a præcepto prohibente furtum rei Sacræ.

Dicimus itaque, quòd objecta, quæ opponuntur præceptis diversis tantum materialiter, & ex parte principii, seu præcipientis, non habent specialem, & distinctam malitiam; manifestum est enim, quòd furtum, v. gr. quod prohibetur jure naturali, divino, & humano, sit unum specie peccatum. Neque refert, quòd, qui transgreditur plura præcepta ex parte præcipientium tantum distincta, committat plures inobedientias; hoc enim dato, itæ inobedientiæ sunt generales, non speciales: sicut, qui obedit præceptis diversis ex parte præcipientium tantum, non facit plures obedientias speciales; generalis autem inobedientiæ est conditio communis omnibus peccatis, quæ non ita auget peccatum, ut ipsi speciem distinctam superaddat, vel circumstantiam tam notabilem, saltem juxta ista præcepta diversa ex parte præcipientium, sicut v. gr. iteratæ omissiones ejusdem voti. Ideo autem ex transgressione plurium præceptorum distinctorum ex parte præcipientium sequuntur plures inobedientiæ, quia hoc est speciale inobedientiæ præ aliis peccatis, quod respicit præceptum violandum ut terminum ad quem, alia vero peccata ut terminum a quo; undè ex multiplicatione inobedientiarum non potest inferri multiplicatio aliorum peccatorum.

Quando vero objecta peccatorum opponuntur pluribus præceptis distinctis formaliter, & ex parte rei præceptæ, seu motivi intrinseci prohibendi, habent specialem, & distinctam specie malitiam. Dico, motivi intrinseci, id est, ipsius operis, seu ad quod opus ex natura sua tendit, ut, v. gr. in præcepto jejunii motivum intrinsecum, seu operis, est temperantia: in elemosynæ præcepto misericordia; non verò motivi extrinseci, seu operantis, quod nempe sibi ad libitum præfigit operans; illud enim non cadit sub præcepto, nec præcepta illud ex natura sua respiciunt.

Itaque, dum objecta opponuntur diversis virtutibus, vel eidem sed diverso modo, vel præceptis diversis ex parte rei prohibite, seu motivi intrinseci, specie distinguuntur in esse moris, & inde peccata specie distinguunt. Et ideo dixi initio articuli verum esse aliquo sensu, scilicet radicaliter, mediè, aut illativè, peccata specie distingui a virtutibus, & præceptis, quibus opponuntur. Undè S. Thom. postquam statuit in corpore presentis articuli, peccata specie distingui per objecta, dicit ad 2. Quamvis, si peccata distinguantur secundum oppositas virtutes, in idem rediret. Quod ergo S. Doct. q. 2. de malo art. 6. dicit; Quid si aliqua essent peccata solum quia prohibita, in his rationabilis esset, ut secundum differentiam præceptorum specie peccata differrent; intelligendum est de præceptis diversis, non solum ex parte præcipientium, sed etiam ex parte rei præceptæ, & finis intrinseci.